

probatur vinum potissimum initio in progressu, nisi in senibus, & qui vino assueti talibus parum Hippocratici vini aut similis indulgemus. Somnus sit moderatus & nocturnus tantum, aliquot horis à cœna. Ante cibum euacuato corpore exerceantur ægri. Et si exerceri nequeunt, earum vicem frictiones suppleant; dandaq; opera, vt alius quoq; respondet: fugiant omnem tristitiam, metum, grauesq; curas &c.

31. Constituta Diæta consequens est, vt ad præsidia Chirurgica veniamus. Qualia sunt, Phlebotomia, cucurbitulæ Chyrurcauteria &c. Phlebotomia locum habet potissimum, ubi magica. ^{Præsidia}
~~lum est à redundantia sanguinis, aut à sanguine fouetur, si ætas, viresq; ferant, detrahendus sanguis erit, sed non ea in copia, qua peccat: vel, quia partes resolutæ propter quietem, refrigerantur, ideo per multam sanguinis missionem refrigerandæ non sunt. Vel quia morbus plerumq; diutinus est; proinde ægri subitas euacuationes non sustinent. Instituitur venæ sectio præmisso Clystere, aut lenituo ad euacuationem communium excrementorum, & secetur vena lateris sani ut Aëtius monet, præcipue Cephalica, sæpèq; sectio repeatatur, & singulis vicibus parum detrahatur, vt natura asuescat, multipli & paulatina illa detractione, materiam à parte læsa, ad sanam deducere. Verùm in paralyssi linguae, ultimo vena sub lingua secari poterit. Si nulla aut exigua sit sanguinis redundantia, satius est multò à phlebotomia abstinere.~~
^{Phlebotomia.}

32. Aëtius & Auicenna probant cucurbitulas cum scarificatione, si materia peccans sit copiosa & nondum impacta; Sine ^{Cucurbitulae} scarificatione si impacta, minusq; copiosa. Igitur cucurbitulæ cum scarificatione parti sanæ admoueri debent, vt materia à parte affecta reuellatur, & in oppositum trahatur, quod circa initia fieri debet. Sed si materia sit tantum impacta, post completas euacuationes parti affectæ admoueantur cucurbitulæ sine scarificatione, vt vel calor natiuus in partibus excitur,